



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

RECVVM.  
Jacobi pre-  
Ioannis ec-  
lesiae fundi-  
Marci, pre-  
& cetero-  
rum, & a-  
rum eccl-  
ribus testi-  
dulpho be-  
ano & Ge-  
reditrix, Ge-  
, Lanfran-  
fimo vnde-  
rante me-

SEDES  
VACANS. RAVENNATE III. INTERREGNUM. 805

ANNO  
CHRISTI  
1314.

- nasteria monialium, & quod moniales non exeat claustrum.
- XII. De beneficiis ordines sacros requirentibus, & de pena eorum qui negligunt ad ipsos ordines promoueri: & de prebendis in ecclesiis cathedralibus absque ordinibus sacris non retinendis.
- XIII. De celebratione Missarum, & pena non celebrantium.
- XIV. De baptismo, & eius forma.
- XV. De veneratione sanctorum in confessione habenda.
- XVI. De obseruantia ieiuniorum facienda tempore conuocandorum Conciliorum.
- XVII. De raptoribus & inuasoribus bonorum ecclesiasticorum mobiliis.
- XVIII. De obtainentibus ecclesiastica beneficia spectantia ad mensam prelatorum.
- XIX. De sententiis interdicti pro pecuniaris causis minime proferendis.
- XX. De indulgentiis revocatis.

P R A E F A T I O.

Constitutiones domini Rainaldi editae in Concilio celebrato Argentæ.

IN CHRISTI NOMINE. AMEN.

**Q**VIA inundatio & abundantia peccatorum facit homines in tenebris ambulare, & permanere, ita quod superioribus debita non exhibetur reverentia, nec inferioribus solicita & caritativa impenditur cura, ex quibus inordinationes & confusiones, nedum in clero, imo & in populo innumeræ pullularunt, ob quæ apparent, ex occulto Dei iudicio, naufragia & tempestates; idcirco nos Rainaldus permissione diuina, & apostolicae sedis gratia, sanctæ Rauennatis ecclesiæ archiepiscopus, ad honorem omnipotentis Dei, beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, beati Apollinaris patroni, sanctorum martyrum Vitalis & Vrsicini, ac aliorum martyrum & confessorum, quorum meritis & precibus, nedum ipsa ecclesia Rauennas, imo omnes cathedrales ecclesiæ, ac alias venerabiles de prouincia sunt fundatae & dotatae, ad reformatiōnem deuotionum, honestorum morum, personarum ecclesiasticarum, religiosorum, sacerdotalium & laicorum, & salutem omnium animarum, defensionem & recuperationem rerum ecclesiasticarum, hoc sacro Concilio, in ecclesia beati Nicolai, castri Argentæ, ecclesiæ & dioecesis Rauennatis conuocato & congregato, sub anno Domini millesimo trecentesimo decimoquarto, indictione XII. decimo die mensis Octobris, præsentibus venerabi-

Iiiii iii

libus fratribus dominis Dei gratia fratre M. Imolensi, fratre P. Comaclensi, P. Foropompiliensi, fratre V. Fauentino I. que Cæsenatensi episcopis: & procuratoribus venerabilium patrum Bononiensis, Adriensis & Reginensis episcoporum, ac capitulo Mutinensis, cum ecclesia ipsa vacet ad præsens, Christi nomine inuocato, de approbatione ipsius Concilii, cui, Deo permittente, præsidemus, infra scriptas constitutiones duximus edendas, promulgandas, ac publicandas. Et ne contra eas aliquid possit fieri, vel ignorantia aliqua prætendi, eas post tres menses proxime subsequentes, mandamus, & statuimus ab omnibus subditis prouinciae Rauennatis inuiolabiliter obseruari.

## C A P I T V L A.

## R V B R I C A I.

Cum ordines sacri, sancto afflante Spiritu, sint ad augmentum gratiæ suscipientium illos maxime constituti, & ob hoc conferendi sint præcipue viris scientia & vitæ sanctitate præditis, a criminibus & infamia alienis, quia apostolis & discipulis suis, quorum vicem hi tenent, Dominus secretiora reuelauit clarius, statuimus quod solummodo constituti in sacris ordinibus, & non alii, ad capitula vocentur, & vocem habeant in capitulo. Et hæc intelligimus de sæcularium clericorum capitulis, non de conuentibus religiosorum.

## R V B R I C A II.

Quoniam Dominus ordinem Leuitarum, quorum locum obtinent clerici, voluit & mandauit esse discretum a populo, vt coram eo starent semper, & audirent sapientiam eius; & species cæli est gloria stellarum, & in antiquis est prudentia, cum nemo eligat tirones, quos non constat esse pru-